

hibetur: a) applicando ideam per se universalem obiecto sensibus vel sensibili signo (voce, imagine) repraesentato, i. e. convertendo nos ad sensations, phantasmata e. g. hic homo a me visus; b) cumulando notas per se universales, ita ut nonnisi individuo convenire possint e. g. idea Dei. Notae illae, cum non constituant rei individualitatem intrinsecam, non sunt nisi *manifestantes* individuum, et ex tempore Porphyrii exemplum Socratis adducentis septem numerantur, quae exhibentur versiculis his:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen,
Haec ea sunt septem, quae non habet unus et alter.

Idea *universalis* est ea, quae aliquid pluribus commune exprimit. (Unde requiritur a) *una ratio obiectiva*, i. e. natura in se una, atque per hoc idea universalis distinguitur ab aequivoca vel extrinseco analoga e. g. sanus; b) ut in *multis* inesse possit; unde distinguitur ab idea singulari; c) ut per identitatem de singulis inferioribus idque eodem modo i. e. univoce praedicetur, quare differt ab idea collectiva. Obiecta materialia vel individua, quibus idem conceptus universalis applicari potest, vocantur eius *subjecta* vel *inferiora*.

Idea *particularis* est illa, quae ad partem indeterminatam extensionis ideae universalis restringitur, e. g. aliqui homines; est ergo media inter singularem et universalem.

Idea *collectiva* est ea, quae plura repraesentat, in quantum unum aliquod *per accidens* constituunt. (Distinguitur ab idea universalis, quia inferioribus non distributive, sed *collective* tribuitur, nisi ipsa etiam tamquam universalis consideretur. Unde magna est differentia inter ideam *collectivam* familie, in quantum comprehendit patrem, matrem, liberos, et ideam *universalem* familie, in quantum designat diversas familias urbis. Nominalistae confundunt utramque ideam.

Idea *transcendentalis* est ea, quae omnibus rebus competit, licet non eodem modo. Sex numerantur: ens, res, aliquid, unum, verum, bonum (reubau). — Plura de his ideis in ontologia dicentur.

III. Ratione repraesentationis.

1. Idea *clara* et *obscura*. *Clara* est illa idea, quae tales notas continent, quibus obiectum aliquod ab aliis obiectis eiusdem vel alterius speciei satis distinguatur; *obscura* est illa idea, quae notis constat ad obiectum ab aliis satis discernendum non sufficientibus; sic obiectum procul et prope visum plus vel minus clare appetit.

Idea *clara* iterum distinguitur *distincta* et *confusa*; *distincta* est, quae non solum obiectum ab aliis discernit, sed etiam notas ipsius ideae inter se distinguit, e. g. notas *essentialis* ab *accidentalibus*, vel individuantes alias ab aliis. *Confusa* est idea, quae notas non

satis distinguit, e. g. tirones mathematicae species triangulorum vel singula theorematum non satis discernentes. Idea clara et distincta differunt ratione obiecti; illa considerat potius obiectum materiale (extensionem), haec obiectum formale (comprehensionem) conceptus.

Idea *distincta* potest tandem esse *adaequate* distincta, si omnes notas conceptus vel rei perfecte distinguit analysi usque ad simplices continuata; secus est *inadaequate* distincta. Idea distincta *comprehensiva* vocatur, si totam rei realitatem eiusque relationes perfecte et complete repraesentat, quod est solius divinae cognitionis.

2. Idea *vulgaris* (imperfecta, psychologica)¹⁾ et *philosophica* (perfecta, scientifica, logica). Idea vulgaris est idea imperfecta, quae neque comprehensionem neque extensionem conceptus satis clare et distincte exprimit (i. e. neque notas quibus conceptus in se constat, neque ipsum obiectum conceptus ab aliis satis discernit; hoc modo se habent plerique conceptus nostri, praesertim hominum rudium.)

Idea philosophica est conceptus clarus et distinctus, ita ut secundum comprehensionem et extensionem perfecte cognoscatur eiusque obiectum ab aliis discernatur i. e. rei definitio habeatur. (Hae ideae pertinent ad scientiam et pauci admodum inveniuntur, qui tales habeant rerum ideas. Patet, ideam philosophicam non haberi, nisi per reflexionem tum ontologicam tum logicam ac proinde semper esse factitiam, directam simul et reflexam. Idea autem vulgaris potest esse tum primitiva, tum factitia, sed per reflexionem imperfectam ontologicam formata; porro plerumque est idea directa vel saltem valde imperfecte reflexa. — Haec conceptum divisio, ut patet, facile ad praecedentem reduci potest.)

3. Idea *propria* et *analogia*. *Propria* est ea, quae rem repraesentat secundum ipsius naturam; *analogia*, quae rem repraesentat secundum alterius rei naturam i. e. secundum relationem quam habet ad aliam rem.²⁾ Ita sanitas, quae de corpore hominis praedicatur, per se ipsam i. e. directe in homine sano ipso apprehenditur; sanitas autem medicinae nonnisi per relationem ad hominis sanitatem restituendam vel conservandam intelligitur. Idea *propria* non confundenda est cum *singulari*; nam haec potest esse in se analoga ut idea Dei; idea vero *propria* tum *singularis* tum *universalis* esse potest. Neque confundenda est cum *primitiva*; licet *primitiva* semper sit *propria*, haec tamen potest esse etiam *factitia*. *Analogia* vero semper est *factitia* i. e. vel *arbitrarie* vel *discursive effecta*. Quum ergo obiectum proprium et proportionatum cognitionis nostrae sit

¹⁾ Wundt hanc vocat logicam, aliam autem scientificam, Logik I, 94 sq.

²⁾ Cfr. Kleutgen, Philosophie d. Vorzeit, I. Abhandlung, III, 39 sq., opus omnino egregium.

universale et immateriale in re individuali eaque materiali, visibili, omnes conceptus de rebus spiritualibus sunt improprii, analogi. Idea autem analogia non est confundenda cum idea abstractiva (factitia, mediata)¹⁾; haec enim latius patet, quia potest esse idea propria, e. g. idea trium arborum ex idea primitiva unius arboris visae forma: distantia solis, stellarum calculo inventa.

Analogia autem potest esse duplex: *attributionis* et *proportionis*.
a) Analogia *attributionis* adest, quando ratio obiectiva per ideam expressa in una re per se, in aliis vero per relationem ad primam inest. Atque si illa ratio obiectiva rebus idea analogia expressis intrinsece inest, vocatur analogia attributionis *intrinseca*,²⁾ e. g. ens in substantia et accidente, vita in Deo et hominibus; si vero in una re i. e. in principe analogato ratio illa obiectiva intrinsece inest, in aliis autem extrinsece per externam denominationem, vocatur analogia attributionis *extrinseca*. Haec analogia invenitur in illis rebus, quae tamquam *causa et effectus, signum et res signata, pars et totum* se habent. Sic sanus dicitur de homine, de colore vultus, de medicina; vita de homine; sermone, actione. Eiusmodi ideae analogae saepe a poetis et rhetoribus adhibentur sub figura metonymiae et synecdoches.

b) Analogia *proportionis* in eo est, ut duae vel plures res habeant similitudinem quandam cum una eademque re tertia. Si haec ratio similis omnibus analogatis intrinseca est, vocatur analogia proportionis *intrinseca vel propria*, sicut ens in quantitate et qualitate; si vero uni formaliter intrinseca, ceteris autem vel omnibus extrinseca est, analogia est proportionis *extrinseca vel impropria*.³⁾ Hac analogia fundantur tropi et metaphorae et allegoriae poetarum et oratorum. Sic risus, sitis de hominibus proprie, de pratis vero metaphorice i. e. analogia proportionis extrinseca dicitur: Quemadmodum vultus hominis suaviter ridentis gratum aspectum praebet, sic etiam pratum floribus ornatum. — In philosophia vero non attenduntur nisi ideae attributione et proportione *intrinsece* analogae.)

IV. Ratione relationis.

1. Ideae *identicae* et *diversae*. *Identicae* sunt quae idem obiectum materiale repraesentant. (Si vero iisdem (saltem quoad rem) etiam notis constant i. e. eandem habent comprehensionem, vocantur

¹⁾ Lehmen, Lehrbuch der Philosophie, I, 24; Reinstadler, Elem. philos. scholasticae I, 18. ²⁾ Alii eam vocant proportionis, et quam nos appellamus proportionis, ipsi vocant analogiam proportionalitatis; cfr. Lorenzelli. Philos. theor. inst. I, p. 308 sq.; Caietanus, de nominum analogia, cap. I. Quamvis nomina sint diversa, res tamen eadem significatur. ³⁾ Cfr. S. Thom. Sum. Theol. I, q. 13, a. 5 et 6. Suarez, Metaph. disp. 28, sect. 3; disp. 32, sect. 2.

intrinsece vel *formaliter* identicae, sicut circuli coincidentes. Sic definitio et res definita; Socrates et Sophronisci filius; homo et animal rationale vel ens ex corpore et anima rationali constitutum; triangula aequalium laterum vel angulorum; 7 + 5 et 12, sunt ideae *intrinsece* identicae; appellantur etiam *aequipollentes* (Wechselbegriffe), quia alter alterius loco potest.

Si autem comprehensio est partim diversa, dicuntur ideae idem obiectum significantes *objective* vel *materialiter identicae*. Patet, ideas solum objective identicas, si earum extensio consideratur, non posse esse nisi ideas particulares vel singulares, ita ut a) vel extensio unius illam alterius includat, sicut circuli quorum alter alteri inscribitur, e. g. genera et species: animal et homo, vel b) ita ut extensiones illarum idearum habeant partem inferiorum communem, sicut circuli se intercedentes, e. g. ideae concretae differentiarum specierum vel generum: ens rationale et sensitivum, vel organicum, vel corporeum, vel ideae concretae individuorum eiusdem speciei sub formis accidentalibus: sapientes et magni, vel c) ita ut saltem unum idemque obiectum singulare commune habeant, sicut circuli se tangentes, quando idem subiectum sub diversa forma exhibetur e. g. nix et hoc sc. *idem* album; sapiens et *idem* magnus.)

Ideae *diversae* sunt, quae non significant idem obiectum *materiale*; si nullum *obiectum* commune habent, sunt conceptus objective diversi, qui si habent notam genericam communem vocantur *coordinati* e. g. homo et brutum, avis et canis, velut circuli nil commune habentes ab alio inclusi. Vocantur autem *disparati* si nullam partem extensionis sive comprehensionis communem habent e. g. homo et decem.¹⁾

2. Ideae *sociabiles* et *insociabiles*; *sociabiles* sunt, quae in unam ideam compositam convenire possunt; e. g. rationalitas et sensibilitas; *insociabiles*, quae in unam ideam convenire non possunt; e. g. circulus-quadratus. Obiecta idearum *insociabilium opposita* vocantur. (Patet, opposita semper esse disparata, non vero vice versa.)

Ideae *proprie* oppositae sunt, quae certa lege sibi opponuntur, ita ut ab eodem subiecto se excludant, et sunt:

a) *Contradicторiae*, quando una simpliciter negat, quod altera affirmat, quin positive quidquam ponatur: homo et non-homo; (unde sicut inter ens et non-ens nullum est medium, ita neque inter contradictoria; neque convenient sub ratione entis.)

b) *Privativae*, quando una negat perfectionem, quam affirmat altera in *subiecto apto*: videns-caecus. (Idea privativa congruit cum

¹⁾ Figuras, quibus Vives et Wundt hanc rem explicant, vide Pesch I. c. p. 253.

contradictoria in eo, quod negat perfectionem; discrepat, quia supponit subiectum aptum, quod caret perfectione illa debita vel conveniente; ideo vocatur privativa. Habet medium, saltem in subiectis non aptis: sunt, qui neque videntes sint neque caeci, e. g. lapides; neque sapientes neque insipientes, e. g. infantes.)

c) *Contrariae*, quae exhibent obiecta positiva sub eodem genere maxime distantia. (Dicitur *positiva*, quia diversitas non efficitur per negationem, ut in contradictoriis et privativis, sed per positionem qualitatis in subiecto alteri oppositae (*contraria* = *contra-ire*): album-nigrum; virtus-vitium. Dicitur, illa *positiva* *sub eodem genere* vel proximo vel remoto posita esse, quia, si essent sub eadem specie, non semper se excluderent, ut album unum aliud album, una virtus aliam non excludit. Dicitur, *maxime ea distare*, quia sub eodem genere possunt esse species intermediae, quae non se excludunt in eodem subiecto, sicut inter vitium et virtus sunt habitus intermedii indifferentes, e. g. scientiae, artes, quae tum cum virtutibus, tum cum vitiis in eodem subiecto esse possunt. Unde album et nigrum ratione conceptus generici: coloris, puer et senex ratione conceptus generici: aetatis, contrarie opposita sunt; non vero album et rubrum, puer et iuvenis, quae potius sunt conceptus coordinati se contingentes.¹⁾ Non igitur sufficit quaecunque oppositio positiva ad ideas contrarias constituendas.)

d) *Relativae*, quando se excludunt quidem ab eodem subiecto, ita tamen ut se invicem supponant, licet in diversis subiectis: Pater-filius. (Conveniunt cum prioribus ideis oppositis in eo, quod ab eodem subiecto se excludunt; differunt, quia mutuo se supponunt. Supponunt autem se invicem realiter vel logice, prout ideae relativae exprimunt relationem *realem* (*causa-effectus*; *actio-passio*; *partotum*; *similitudo-dissimilitudo*; *mensura-mensuratum*; *imago-exemplar*) vel relationem *logicam* (*conceptus-resconcepta*; *genus-species-individuum*; *subiectum-objecitum-pradicatum*; *maior-minor-consequens*).

Maxima vel saltem perfectissima oppositio est inter contradictoria, quia non habent medium, neque convenient in ullo genere, ne sub ratione entis quidem.²⁾

3. Ideae *connexae* et *inconnexae*. *Connexae* sunt, quae se invicem excitant seu quocunque modo cohaerent; *inconnexae* vero, quae nullum nexus habent. Nexus vero potest esse subiectivus et obiectivus; *objecitivus* est, si fundatur legibus essendi vel cognoscendi, sicut est in ideis relativis; *subiectivus*, si est per accidens ratione

¹⁾ Cfr. Trendelenburg, Elem. logic. Aristotel. § 10 sq. Frick, Ontol. p. 143. Wundt, Logik, I. 134. ²⁾ Cfr. S. Thom., Opusc. 37, de 4 oppositis. Gutberlet quidem putat contraria maxime distare.

subiecti cognoscentis, unde nulla certa lege fundatur; e. g. perceptiones simul habitae ratione temporis, vel loci; similes, dissimiles, vel experientia externa sive interna mere associatae. Memoria ideis connexis maxime adiuvatur, et in eo est ars memorialis, quod ideas apte inter se connectat, ut se invicem excitent.)

V. Ratione subordinationis.

Ideae dividuntur in *praedicamenta* et *praedicabilia*.

A. Praedicamenta.

(1. *Notio praedicamentorum et praedicabilium*).¹⁾ In omni idea potest considerari *id quod* reprezentat i. e. eius comprehensio, et *modus quo* reprezentat i. e. eius extensio sive universalitas. Id *quod* idea reprezentat est nota aliqua obiectiva, realis, quae est obiectum *ideae directae* (vide supra pag. 15 et 18) ac proinde de rebus *praedicatur*; modus vero, quo *ideae* reprezentant, non existit nisi in mente, et est obiectum *ideae reflexae* (pag. 18). Illud igitur, quod de rebus *praedicatur*, vocatur *praedicamentum*, modus vero quo *praedicatur*, vocatur *praedicabile*.

Propterea Aristoteles illud appellabat *κατηγορίαν* a voce forensi accusare, quod Boëthius apte interpretatus est *praedicamentum*; *praedicabile* vero *κατηγορούμενον* ab Aristotele vocabatur.

Iam vero obiectum *ideae directae* seu *praedicamentum* possimus reflexione ontologica sive *præcisione obiectiva* (supra pag. 16—17) per analysis in notas, quibus constat, resolvere, ita ut formentur conceptus simpliciores ac proinde universaliores, usquedum ad *suprema genera* perveniamus. Hoc modo formatur series *idearum*, quae omnes de eodem subiecto *praedicari* possunt et se invicem includunt (*ideae obiective identicae*). Sic dividentes conceptum hominis ascendimus successive ad conceptus: *animal-vivens-corpus-substantia*, et haec series vocatur *categoria substantiae*. Quamvis omnes illae *ideae iure* vocari possint *praedicamenta*, hoc tamen nomen reservatur *supremis generibus*, quae inferiores sub se continent et de iis univoce, i. e. eodem modo *praedicari* possunt. Unde *categoriae* nil aliud sunt nisi *suprema quaedam genera*, quae seriem *naturalem generum, specierum et individuorum sub se continent*.

(2. *Qualitates praedicamentorum*: Ut igitur idea aliqua possit esse *categoria*, requiritur: a) ut exhibeat *ens reale* (non rationis e. g. privationem etc.), quod re vera de rebus *praedicari* possit; *categoriae* enim non sunt series nominum vel solum *idearum*, sed potius rerum; b) ut exhibeat *ens finitum*, quia Deus

¹⁾ Cfr. S. Thomae opusc. 48 (edit. Lugd.), in quo Aristotelis tradit *logiam*; porro opusc. 41 et 42 de natura generis et accidentis.

est supra omne genus et omnem in se continet perfectionem, quare conceptus Dei omnium maxime est concretus neque de ulla re praedicari potest praeter Deum; c) ut exhibeat rationem obiectivam in se *unam*, ut possit eodem modo de inferioribus praedicari; ac proinde nulla idea analogia potest esse categoria. Etiam ratio entis excluditur ex categoriis, quia est analogica et omnia in se concludit; simili ratione etiam idea accidentis, quia analoga est ratione novem generum accidentium. Neque idea complexa e. g. homo niger, potest esse categoria, quia duplē rationem obiectivam exhibet, unde duabus simul subest categoriis; d) ut exhibeat ens *completum*, quod per se non sit pars alterius; ac proinde differentiae specificae non constituuntur categoriae nisi per accidens; neque partes integrantes, nisi reductive; e) ut exhibeat *supremam* rationem in aliqua serie entium, quae alias sub se continet.

3. *Numerus praedicamentorum*. Aristoteles, qui primus hanc rem tractavit, decem statuit categorias, potius a posteriori i. e. observatis omnibus praedicatis, quae rebus tribuimus, non fortuito collectis, ut Kant ei exprobat.¹⁾ S. Thomas vero illa summa praedicamenta quasi a priori modo satis congruenti derivat²⁾, cuius sententiam sic breviter proponimus. Quidquid est sive praedicari potest, est aut *substantia* aut *accidens*. Accidens autem substantiam, cui inest, vel absolute in se determinat, vel respectu alterius rei. Si absolute determinat, aut materiam sequitur, et tunc est *quantitas*; aut formam, et est *qualitas*. Si vero accidens respectu alterius rei substantiam determinat, vel in solo illo respectu ad terminum consistit, et vocatur *relatio*; vel respicit specialem rationem i. e. aut principium vel activum = *actio*, vel passivum = *passio*, aut certam relationem temporis = *quando*, vel loci et quidem tum extrinseci = *ubi*, tum intrinseci = *situs*, aut externa adiumenta: *habitus* (arma, vestimenta etc.).

Sunt ergo haec decem praedicamenta:³⁾ substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs, habitus, quae iam antiquitus versiculo memoriali comprehenduntur:

Arbor sex servos ardore refrigerat ustos;

Ruri eras stabo, sed tunicatus ero.

4. *Significatio praedicamentorum*. *Substantia* (*οὐσία*) est ens per se; distinguitur secundum Aristotelem *prima*, i. e. quae neque in subiecto est, neque de subiecto praedicatur (individua, persona); et *secunda*, quae non est in subiecto, sed de subiecto praedicatur, non quidem de subiecto inhaesisionis, sed attributionis. *Haec secunda est categoria*.

¹⁾ „Rhapsodistisch zusammengerafft“; „Kritik der reinen Vernunft“ 1791, III ed. p. 107; cfr. E. Fischer I. c. p. 183. Wundt, Logik, I, 117 sq. 172 sq.
²⁾ L. 3 Physic. cap. V, lect. 5, n. 15 (Editio Romana iussu Leonis XIII P. M.) 1884, tom. II. ³⁾ Aristot. Categ. 4; Top. I, 8. Aliam categoriarum deductio nem plus minus idealisticam vide apud Ulrici, System der Logik, 1852, p. 237 sq.

Quantitas (*ποσόν*) est partium extra partes positio, et est continua (unius, duarum, trium dimensionum) vel discreta (multitudo, numerus); continua iterum est permanens (spatium, corpus) vel fluens (motus, tempus).

Qualitas (*ποιόν*) est determinatio rei supperaddita; sunt quattuor: a) potentia (impotentia realis) ad operandum (facultates, vires naturae); b) habitus et dispositio ad facile operandum (e. g. sanitas, virtus, scientia); c) passio et passibilis qualitas (e. g. pallor vultus, colores); d) figura (mathematica), forma (physica) est terminatio quantitatis.

Relatio (*πρός τι*) est respectus unius ad aliud, et est vel realis, i. e. ante mentis operationem (causa et effectus, similitudo etc.), vel logica, i. e. per mentis operationem (subiectum, praedicatum etc.).

Actio (*ποτεῖν*) est mutatio quaevis a causa efficiente producta.

Passio (*πάσχειν*) est mutatio, quae in subiecto recipitur.

Ubi (*ποῦ*) est determinatio in loco.

Quando (*ποτέ*) est determinatio in tempore.

Situs (*κεῖσθαι*) est dispositio partium corporis intrinseca.

Habitus (*ἔχειν*) est omnis affectio corporis mere externa (vestitum, armatum esse etc. — Plura de categoriis in ontologia dicentur.

Sex ultimae categoriae possunt facile reduci ad relationem, cuius fundamentum constituunt. Unde omnes categoriae in duas classes possunt dividi; in *absolutas*: substantia, quantitas, qualitas, et *respectivas*: relatio et sex sequentes.

5. *Opiniones de praedicamentis*. Alii alium categoriarum numerum statuerunt: Pythagoraei viginti, Epicuraei decem, Stoici quidem quattuor, Plotinus sequens Platonem quinque; neque Aristoteles semper eundem retinet numerum.¹⁾ Recentes vero philosophi, praedicamenta et praedicabilia plerumque confundentes, alias iterum statuerunt categorias: Kant 12²⁾, Herbart duas:

¹⁾ Trendelenburg, Geschichte der Kategorienlehre, 1846; Überweg, Syst. der Logik, 4 p. 98 sq. Ulrici, System der Logik, 1852, p. 147 sq. Pesch, I. c. I, p. 290. ²⁾ I. Quantität comprehendens: Einheit, Vielheit, Allheit derivatae ex iudicio singulari, particulari, universali; II. Qualität comprehendens: Realität, Negation, Limitation derivatae ex iudicio affirmativo, negativo, limitativo; III. Relation comprehendens: Inhaerens-Subsistens, Causalität-Dependenz, Gemeinschaft (actio-passio) derivatae ex iudicio categorico, hypothetico, disjunctivo; IV. Modalität comprehendens: Möglichkeit-Unmöglichkeit, Dasein-Nichtdasein, Notwendigkeit-Zufälligkeit derivatae ex iudicio problematico, assertorio, apodictico. Haec categoriarum tabula est reicienda: a) *ratione originis* et *fundamenti*; nam derivantur ex iudiciis, quae supponuntur esse primi actus mentis orti ex sensatione et formis innatis, et *modum* praedicantis significant; unde confunduntur praedicamenta et praedicabilia; b) *ratione divisionis*; nam ex una parte abundant; Möglichkeit et Unmöglichkeit, Dasein-Nichtdasein, Limitation etc. non sunt praedicata realia vel non univoca (ens); ex alia parte deficit, quia non invenitur in illa categoria quidquid praedicatur

realitatem et relationem, v. Kirchmann item 12, sed a Kantianis diversas¹⁾ E. von Hartmann non minus quam 25²⁾ et alii alia. Sed series categoriarum magis conveniens quam Aristotelica usque ad nostrum saeculum in omnibus scholis recepta, a nullo inventa est ac proinde haec nobis est retinenda.³⁾

B. Praedicabilia:

1. *Notio et divisio praedicabilium. Praedicabilia*, ut explicavimus supra, sunt modi, quibus id quod ideae exprimunt, de rebus praedicatur. Iam vero quinque modis potest comprehensio conceptus rei alicui convenire: a) per *essentiam*, et tunc constituit 1) vel totam rei essentiam et vocatur *species*, e. g. homo = animal rationale, vel 2) constituit solum partem essentiae et quidem partem metaphysicam essentiam inchoantem, e. g. animal respectu essentiae hominis, et est *genus*, vel 3) constituit partem determinantem essentiae e. g. rationale respectu hominis, et est *differentia*; aut b) conceptus rei convenit non per essentiam, et tunc est, 4) vel proprietas, quae necessario ex essentia emergit, et vocatur *proprium*, vel 5) non necessario cum rei essentia coniungitur, et vocatur *accidens*.

2. *Significatio praedicabilium. Species* (*εἶδος*) est id, quod communem plurium integrum essentiam exprimit, unde dicitur praedicari in *quid complete*, e. g. homo est animal rationale. Nota vero, essentiam hic non solum significare substantiam, sed etiam accidentia, quae ipsa quoque habent essentiam. Distinguuntur species *infimae*, quae sub se non habent nisi individua, e. g. homo = Petrus, Paulus etc., et hae species proprie sic vocantur; et species *intermediae vel subalternae et supremae*, quae alias species sub se habent, et proprie sunt genera.

e.g. quantitas, ubi, quando etc. Accedit, quod divisio ratione quantitatis non praedicatum, sed subiectum respicit; c) *ratione finis*; nam idealismus hac theoria et sustentatur et inducitur. Cfr. Überweg, l. c. § 68. Willmann, Geschichte des Idealismus, 1897, III, § 102 et 103. Idem fere dicendum est de 9 categoriis, quas Renouvier statuit (cfr. Überweg-Heinze, 1902⁴, IV, p. 397.)
¹⁾ Fischer l. c. p. 331 et 343 sq. ²⁾ Kategorienlehre, 1896; cfr. Philos. Jahrb., 1897, IV, p. 425; porro 1901, p. 207; Drews, E. v. Hartmanns philosophisches System, 1902, 765 sq.: „Die Kategorien sind die Betätigungsweisen der unpersönlichen Vernunft in den Individuen, also ihrem Ursprung nach supraindividuell, wenn auch als konkrete Funktionen zu dieser individuellen Funktionengruppe gehörig“ p. 770. Quae categoriarum explicatio sapit Pantheismum idealisticum auctoris. Simile aliud censem Ulrici, System der Logik, p. 233. ³⁾ De praedicamentis et postpraedicamentis vide plura Commer, Logik, 1897, p. 97 sq. — Braig (Logik, 1897, p. 40) tres statuit categorias: Wesen, Wirken, Zweck, quae tamen non omnia quae praedicari possunt, comprehendere videntur et partim *modum* quoque praedicationis i. e. praedicabile significant.

Genus (*γένος*) est id, quod partem essentiae inchoantem constituit ac proinde pluribus speciebus commune est; praedicatur ergo in *quid incomplete*, e. g. homo est animal. Distinguuntur genera *proxima*, *intermedia* (*subalterna*), *suprema*, in quantum vel solas species, vel alia genera sub se habent; e. g. animal-vivens-corpus-substantia.

Differentia (*διαφορά*) est illud, quo genera dividuntur et genera inferiora vel species constituantur; unde distinguuntur differentiae *genericae et specificae*. *Dividunt* ergo genera, *constituant* species easque discernunt ab invicem, ac proinde praedicantur in *quale constitutivum*; e. g. homo est rationalis.

Proprium (*τόπος*) est illud, quod essentiam non constituit, attamen ex ea necessario sequitur, unde *omni*, *soli ac semper*¹⁾ speciei (vel generi) competit. *Praedicatur* vero in *quale necessarium*, e. g. homo est risibilis (non: ridet); corpus est extensibile (non: actu extensem). Essentiae rerum cum non immediate nobis innotescant, maxime ex propriis cognoscuntur; ita homines, bruta, plantae statim ex forma organica singulis propria dignoscuntur, corpora inanimata ex forma crystallina, pondere et calore specifico, fractione lucis, lineis spectralibus, affinitate chemica etc.

Accidens (*συμβεβηκός*) est illud, quod adesse vel abesse potest salva rei essentia, unde praedicatur in *quale contingens*; e. g. homo ridet; corpus est extensem. *Accidens* logicum igitur vel non *omni*, vel non *soli*, vel non *semper* speciei competit, sed individuis quatalibus. Diligenter distinguendum est inter accidens *metaphysicum* (praedicamentale) et *logicum* (praedicabile); illud opponitur solum substantiae, hoc essentiae; unde accidens *metaphysicum* potest esse tum accidens *proprium*, tum *logicum*. Nobis de accidente logico, quod est *praedicabile*, sermo est; *metaphysicum* vero est *praedicamentum et spectat ad ontologicam*.²⁾

Toto genere differre dicuntur, quae non sunt sub genere proximo: e. g. homo et planta; *specie* differunt, quae sub proxima specie non sunt: e. g. avis et canis; solo *numero* differunt, quae sub eadem specie inveniuntur individua: e. g. Petrus et Paulus. Addendum esse videtur, notionem entis, quum sit transcendentalis, neque in praedicamentis neque in praedicabilibus collocari posse. Genera enim ex speciebus, et species ex generibus ita formantur, ut differentiae specificae vel genericae nullo modo in generibus vel speciebus contentae addantur vel tollantur. Hoc modo conceptus imitantur

¹⁾ Cfr. Porphyrius, Isagoge, cap. 4. ²⁾ Scientiae naturales plures habent divisiones sive praedicabilia: Reich, Kreis, Klasse, Ordnung, Familie, Geschlecht, Gattung, Art, Unterart, Spielart, Individuum.

res, quae ex materia et forma constant. Notio enim generica quasi materia habetur, quam in se indeterminatam differentia tanquam forma accedens in notione speciei constituit.

C. Arbor Porphyriana:

Si praedicamenta et praedicabilia nunc inter se comparantur, possumus in unaquaque categoria seriem notionum ita ordinare, ut ex individuis, sublatis successive differentiis individuantibus, specificis et genericis, usque ad supra genera ascendamus, et vice versa, ex supremis generibus categoriarum, additis iterum notis genericis, specificis et individuantibus, ad individua descendamus. Hoc modo statuitur celebris illa quae dicitur arbor Porphyriana, in qua Porphyrius primus in sua ad organum Aristotelis introductione (isagogę) integrum seriem generum et specierum in categoria substantiae efformavit. Patet, etiam in novem aliis categoriis similem fieri posse seriem vel arborem accidentium.

Substantia

materialis	immaterialis (species angelorum).
Corpus	inanimatum (species corporum naturalium).
animatum	
Vivens	insensitivum (species plantarum).
Animal	irrationale (species animalium).
Homo	
Petrus	Paulus etc.

Caput II: De termino ideae signo.

§ 1. Notio terminorum.

1. (*Notio et divisio signi*. Ea est natura nostra, ut ideas sermone exprimamus, quare voces sunt signum naturale idearum et quidem signum sensibile facilitate, ubertate, utilitate sua ad ideas distinguendas, fixandas et memoria conservandas, communicandas verbo vel scripto ab initio mundi maxime usitatum; unde vocabula spirituale cognitionis nostrae naturam quodammodo imitantur.)

a) „Signum vocatur, per quod aliquis devenit in cognitionem alterius.“¹⁾ (Distinguitur autem ratione subiecti cognoscentis signum *quod* seu *objективum* (instrumentale) et signum *quo* seu *formale* sive *subjectivum*. Signum *quod* est illud, quod prius cognitum ducit in

¹⁾ S. Thom. S. Th. III, q. 60, a. 4.

cognitionem alterius, sicut ex fumo ignis cognoscitur; signum *quo* est, quod sine praevia sui cognitione dicit in cognitionem alterius, sicut mediante imagine illa in retina oculi formata obiecta ipsa videmus.)

b) Ratione rei significanda signum potest esse *naturale* et *arbitrarium* sive *conventionale*; *naturale* est, quod vim significandi, i. e. *nexus* cum re signata ex ordine naturae habet, e. g. gemitus signum doloris; *imago in speculo*; *arbitrarium* est, quod vim significandi habet ex hominum institutione sive conventione e. g. laurus signum victoriae. (Signum *naturale* potest esse tum *formale* tum *objективum*; *arbitrarium* vero semper est *objективum*.)

c) Ratione modi significationis signum dividitur in *manifestativum* et *suppositivum*. Illud est, quod rei alicuius existentiam pro quovis tempore indicat, ut monumentum victoriam; hoc vero rei ipsius praesentiam supplet eiusque vices gerit in mente; ita statuae, imagines imperatoris, sanctorum honorantur, crux Christi adoratur. — Ex his patet, ideas ipsas esse *signa*, quia manifestant obiecta, et quidem *signa quo* (*formalia*), quia significant, ita ut prius non percipiuntur; deinde *signa naturalia*, quia ex ordine naturae repraesentant; tandem *signa* non solum manifestantia, sed *suppositiva* rerum, quia earum in mente vices gerunt.)

2. *Notio vocabuli et termini*. Voces, i. e. soni ab animali ore prolati, distinguuntur *inarticulatae* et *articulatae*; illae possunt esse *signa naturalia*, e. g. doloris, famis; haec vero sunt *vocabula*, et si non inania sunt, vocantur a) *signa* idearum ac proinde etiam rerum ideis expressarum; vocibus enim manifestamus, quod mente concipimus; b) sunt *signa quod* (*objektiva*), quia ex ipsis prius cognitis comperimus, quid homines sentiant; c) sunt vero *signa arbitraria*, quia ex institutione humana manifestant; ipsa enim *natura vocabulorum* et *grammatica historiae linguarum* ostendit, non esse *nexus naturalem* ac proinde necessarium inter voces et ideas; d) deinde sunt *signa manifestantia* idearum, quia directe ideas, non res exprimunt; e) tandem sunt *signa suppositiva* rerum, quia in propositione vices rerum gerunt, sicut *ideae in mente*.¹⁾

Vocabula sunt partes *orationis*; haec enim est *apta vocabulorum ordinatio ad aliquid exprimendum*. Qua in re nomen et verbum (*substantivum*) partes habent principales, quia in illas partes tota oratio dissolvi potest; ideo vocantur *termini orales*, vel simpliciter *termini*, *ideae* vero *termini mentales*.)

¹⁾ Copia vocabulorum pro perfectione linguarum magna est; sic in lingua germanica 70 000 fere habentur, quorum eruditii in conversatione 3–4000, illiterati 400 fere adhibent.